



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

Paralytici.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

Paralytici.

MEDITATIO CXXIX.

*Christus paralytico sanando dimittit
prius peccata.*

I. **I**esus iterum intravit Capharnaum (ci-
uitatem suam, *Matth. 9. v. 1.*) post dies,
& auditum est, quòd in domo esset: & con-
venerunt multi, ita ut non caperet neque
ad januam, & loquebatur eis verbum. *Marc.*
2. v. 1. & 2. Factum est in una dierum, &
ipse sedebat docens. Et erant Pharisei se-
dentes, & Legis doctores, qui venerant ex
omni castello Galilææ, & Iudææ, & Ierusa-
lem: & virtus Domini erat ad sanandum
eos. *Luc. 5. v. 17.*

II. Et ecce offerebant ei paralyticum
jacentem in lecto, *Matth. 9. v. 2.* qui à qua-
tuor portabatur: *Marc. 2. v. 3.* & quærebant
eum inferre, & ponere ante eum. Et non
invenientes, quâ parte illum inferrent præ
turba, *Luc. 5. v. 18. & 19.* cum non possent
offerre eum illi præ turba, *Marc. 2. v. 4.*
ascenderunt supra tectum: *Luc. 5. v. 19.* nu-
daverunt tectum, ubi erat: & patefacientes
submiserunt grabatum, in quo paralyticus
jace-

jacebat. *Marc. 2. v. 4.* Per regulas submiserunt eum cum lecto in medium, ante IESUM. *Luc. 5. v. 19.*

III. Cùm autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: *Marc. 2. v. 5.* Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth. 9. v. 2.* *Marc. 2. v. 5.* *Luc. 5. v. 20.* Et ceperunt cogitare Scribæ, & Pharisei, dicentes (intra se: Hic blasphematur. *Matth. 9. v. 3.*) Quis est hic, qui loquitur blasphemias? *Luc. 5. v. 21.* Erant illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? Blasphematur. *Marc. 2. v. 6.* *Luc. 5. v. 7.* Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? *Marc. 2. v. 7.* *Luc. 5. v. 21.*

MEDITATIO CXXX.

Christus, dimissis paralytico peccatis, eundem sanitati restituit.

I. UT cognovit Iesus (spiritu suo, *Marc. 2. v. 8.*) cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: *Luc. 5. v. 22.* Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? *Matth. 9. v. 4. 5.* *Marc. 2. v. 9.* *Luc. 5. v. 23.*

F. II. Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico; Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. *Matthæi 9. v. 6. Marc. 2. v. 10. & 11. Luc. 5. v. 24.* Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat: & abiit in domum suam, magnificans Deum. *Luc. 5. v. 25.*

III. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. *Matth. 9. v. 8.* Surrexit ille, & sublato grabato abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia nunquam sic vidimus. *Marc. 2. v. 12.* Stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. *Luc. 5. v. 26.*

MEDITATIO CXXXI.

*Servi paralytici herus mittit seniores
Iudaorum ad Christum.*

I. **C**UM IESUS impleret omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. Centurionis autem cujusdam servus malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus. *Luc. 7. v. 1. & 2.*

II. Et

D. N. IESV CHRISTI. 125

I. Et cum audisset de IESU, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum, ut veniret, & salvaret servum ejus. *Luc. 7. 6. 3.*

III. At illi cum venissent ad IESUM, rogabant eum sollicitè, dicentes ei: Quia dignus est, ut hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificavit nobis. IESUS autem ibat cum illis. *Luc. 7. 6. 4. 5. 6.*

MEDITATIO CXXXII.

Idem herus centurio Christum per amicos adit, & alloquitur.

LET cum jam non longè esset à domo, emisit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: Non enim sum dignus, ut sub lectum meum intres. *Luc. 7. 6. 6.*

I. Propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus. *Luc. 7. Vers. 7.*

III. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit; & servo meo: Fac hoc, & facit. *Luc. 7. 6. 8. Matth. 8. 6. 9.*

MEDITATIO CXXXIII.

Centurio denique Christum ipse adit, & servus paralyticus verbo sanatur.

I. **A**ccessit ad eum centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. *Matth. 8. v. 5, 6, 7.*

II. Et respondens centurio, ait: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. *Matth. 8. v. 8.* Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit; & seruo meo: Fac hoc, & facit. *Matth. 8. v. 9. Luc. 7. v. 8.*

III. Audiens autem Iesus, miratus est: *Matth. 8. v. 10.* & conversus, sequentibus se turbis dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. *Luc. 7. v. 9. Matth. 8. v. 10.* Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno coelorum: filij autem regni eijicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. *Matth. 8. v. 11. & 12.*

IV. Et

II. IV. Et dixit Iesus centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. *Matth. 8. v. 13.* Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt seruum, qui languerat, sanum. *Luc. 7. v. 10.*

Surdus.

MEDITATIO CXXXIV.

Christus aperit aures surdo, & vinculum linguae solvit eidem.

Vide inter Mutos, Meditationem CXXXIX.

Turba variorum aegrorum.

MEDITATIO CXXXV.

Christus predicans & sanans, obit totam Galilæam.

I. **C**ircumibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni: & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. *Matth. 4. v. 23.*

II. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs languoribus & tormentis comprehen-